





## MEDITATIO XXIX.

*De Examine particulari circa speciale aliquod vitium.*

COMMENDATUR à Cassiano, Col. 5. c. 14., et à B. Patre Ignatio modus traditur. Sic hostes faciliùs expugnantur, quandò sejunctim invaduntur: et ita egerunt filii Israel in expugnandâ Palæstinâ.

Porro tria tempora huic exercitationi assignantur: matutinum, pomeridianum, vespertinum; exemplo *Ps. 54. 18. David, vespere, et manè, et meridie narrabo, et exaudies vocem meam. Quid narraret, nisi miserias suas coram Deo effunderet? Daniel quoque tribus temporibus die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo.*

## PUNCTUM I.

Manè, ubi vestes indui, hæc præstabo. 1. Positis genibus, gratias pro ejus noctis quiete, et conservatione à peccatis agam, tum, brevi reflexione factâ, dispiciam si quid à vespertino examine factum sit, et deflebo. 2. Intentionem puram Deo offeram circa omnes ejus diei actiones; cupiens, et petens acceptari à Deo in unione Christi meritum, ut illis conjunctæ, reddantur acceptæ in conspectu Dei. 3. Proponam vitare omnem culpam, et specialim quam expugnandam suscepi. Hoc est videlicet quod agebat David: *In matulino interficie-*

Matu-  
num exa-  
men.

Oblatio.

Proposi-  
tum.

*Ps. 100. 8.*

## De Examine particulari. 121

*bam omnes peccatores terræ; nimirum manè et in tempore peccata prævertere. Quod propositum ut sit efficacius, juvat ea breviter prævidere ac recollere, in quibus pro ratione statûs, et conditione meâ, plus subest periculi, ad ea me præmuniendo certis rationibus, cum divinâ ope. Illud etiam provectoribus in spiritu potest conferre, ut molesta quædam, et ingrata sibi objiciant, ad eaque superanda, si contingant, seipsos animent, atque obfirmant, quò paratiores sint ad eventus: imò optent sibi evenire, juxta illud: *Proba me, Domine, et tenta me, ure re- nes meos, et cor meum, quia misericordia tua ante oculos meos est; quâ confisus, nihil metuo. Et si istud, minus mortificatis non est semper usui, quia possent deterreri, et in contraria impelli.**

## PUNCTUM II.

Alterum tempus est meridianum. Tunc, impo- Examen  
meridia-  
num.  
rato lumine divino, discutiam an et quoties deliquerim in speciali vitio quod persequor; ac pro numero et gravitate, meipsum arguam inconstantie acriter, post tam seria proposita; et inquiram de modo et occasione lapsuum, cum instauratione propositi.

Juvabit, ad se confirmandum, commemorare Christum per id tempus cruci affixum fuisse, et per- Christum  
crucifi-  
xus.  
severasse constanter plures horas in acerbissimis doloribus; sub idem etiam tempus ascendisse in Cælum, laborum fructus percepturum. Quâ utraq; consideratione animari possum ad vincendum, di-



Cant. 1. 6. camque Domino : *Indicā mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post vestigia gregum, irrationalium videlicet cupiditatum.*

## PUNCTUM III.

Vespertinum. Tempus tertium examinis particularis, ante cubationem. Præstabo quæ in meridie, ac, si sæpius deliquerim, eò me acrius objurgabo. Non despondebo tamen animo, quia *septies cadet justus, et resurget.*

Prov. 24.  
16.

Collatio. Similis collatio errorum fiet, inter diem et diem, et inter hebdomadas, ut constet fructus, et emendatio. Tandem proderit, quodcumque peccatur, tusione pectoris, aut alio signo semet statim corripere. Nam sic retinebitur melius numerus culparum, et cautior reddetur homo à lapsu; et fiet quod illic dicitur : *Septies cadet justus, et resurget; quia statim se colliget et respiscet.*

Prov. 24.  
16.

## MEDITATIONES

ANTE CONFSSIONEM SACRAMENTALEM, ET  
SACRAM COMMUNIONEM.

Quoniam ad parandam conscientie munditiam, quod in hac parte meditationum agitur, confert plurimum frequens usus et pius istorum sacramentorum, de iis aliquas meditationes visum est proponere.

## MEDITATIO XXX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

## PUNCTUM I.

Quòd eximium sit beneficium Dei, sacramentum Pœnitentiæ. I. Quia cum solius Dei sit peccata remittere, ut dicit ipse per Isaiam : *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me; voluit tamen hanc potestatem cum hominibus communicare, perinde peccato obnoxiiis et ejusdem sacramenti ope indigentibus; ut peccatoribus animos adderet, quando ipsi sacerdotes eadem laborant infirmitate, unde compati possint. Contulit autem potestatem absque omni restrictione, aut exceptione ullius generis peccati, vel numeri culparum; si vel septuagies septies, quod est, vel si infinities, homo peccaverit.*

Pœnitentiæ excellentia.

Isaiæ. 43.  
25.



Ex quo apparet bonitas Dei, quæ sic est prona et facilis ad ignoscendum; imò optat ignoscere.

2. Quòd Deus severissimum judicium, quod post hanc vitam manet, commutaverit in hoc placidissimum sacramentum Pœnitentiæ, modò uti velimus,

<sup>1. Cor. 11. 31.</sup> <sup>Nah. 1. 9.</sup> *justa Pauli sententiam: Si nosmetipsos judicemus, non utiquè judicemur: quia ut alibi dicitur, non surget duplex tribulatio.*

<sup>Zach. 13. 1.</sup> *3. Hic est fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.*

#### PUNCTUM II.

Actus  
virtutum  
confessio-  
nis.

Quòd actus confitendi sit præstantissimus ob adjunctas virtutes, quæ simul exercentur. 1. Est fides, quâ creditur talem potestatem hominibus datam esse à Deo, et quasi claves regni Cælorum. 2. Spes, quâ contra usum aliorum tribunalium per confessionem facti speratur absolutio à reatu. 3. Caritas, ex quâ procedit dolor peccatorum et studium recuperandæ gratiæ, quâ inhæreamus Deo. 4. Humilitas, in aperiendo secreta cordis homini, ad suâ confusionem; ut velit homo haberi pro eo quod est, peccator. 5. Obedientia, in exequendo præcepto, quamvis difficili, confessionis, subjiciendoque se homini, paratum ad faciendâ injuncta. 6. Justitia, quando ad satisfaciendum Deo pro offensis, personam sumit ipsemet accusatoris, et testis, sententiæque executoris. 7. Fortitudo in superandâ vehementi inclinatione ad occultanda, excusandaque peccata; quod

fecit Adam in paradiso, et pro magno prædicat S. Job: *Si abscondi quasi homo peccatum meum.* Imò, <sup>Job. 31. 33.</sup> nonnunquam plùs requiritur fortitudinis ad seipsum in hac re vincendum, quàm fuerat necessaria ad præcavendum peccatum.

Hinc constat humilem confessionem esse opus <sup>Meritum confiten-</sup> magni meriti, prædictosque actus magno fervore concipiendos esse, quò sit confessio fructuosior. <sup>4. Reg. 4. 35.</sup> Puer ab Elisæo suscitatus *oscitavit septies*; ita nos per hos septem actus, quasi totidem respirationes, recipimus vitam gratiæ. Et æquum est ut, cum in hoc sacramento dimittantur peccata septem mortalia, et dona septem Spiritûs sancti conferantur, vicissim Deo hosce actus totidem offeramus.

#### PUNCTUM III.

Fructus sacramenti hujus considerandi sunt; qui <sup>3. Fructus.</sup> reduci possunt ad tres, de quibus dicitur: *Regnum Dei est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* <sup>Rom. 14. 17.</sup>

1. Est *Justitia*, hoc est, gratia sanctificans animam, gratamque Deo faciens, et constituens filium Dei: Cui adnexa est caritas, cæteraque dona Spiritûs sancti, virtutesque infusæ. Quòd si jam justificatus ad sacramentum accedit, recipit augmentum gratiæ: nam, <sup>Apost. 22. 11.</sup> *qui justus est, justificetur adhuc.* <sup>Pax.</sup>  
2. *Pax*, utique cum Deo, sed et ab aliis inimicis, quales sunt ipsa in primis peccata, deinde dæmones, et passiones propriæ. Primos hostes, hoc est peccata, penitus delet: secundos fugat, quippe non



sustinent dæmones manifestari medico morbos animæ : tertius subigit spiritui ; sicut ait Sapiens : *Cum placuerint Domino vice hominis , inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Nempe tentationes et internæ difficultates occultatæ non sinunt animam quiescere ; expositæ autem Patri spiritali remittunt impugnationem. 3. *Gaudium* in Spiritu sancto , depulsâ nube tristitiæ , ex aculeo conscientia ; et serenitate reditâ , ex testimonio remissionis peccatorum , et meliore spe salutis. Quod experiebatur David : *Auditi meo dabis gaudium et lætitiâ , et exultabunt ossa humiliata.* Ipsa ossa reviviscunt , quæ exsiccabat tristitiâ.

Ex horum consideratione fructuum excitabo meipsum ad superandas difficultates confessionis : tum etiam ex eo quod Christus tantò majora præstiterit , ut mihi veniam pararet peccatorum : denique , quod potuisset graviora his mihi imponere , ad remissionem obtinendam , qui alioqui reus eram æternæ confusionis. Quare in me quadrat illud servi dictum ad

4 Reg. 5. Naaman : *Pater , etsi rem grandem dixisset tibi propheta , certè facere debueras : quanto magis , quia nunc dixit tibi : Lavare , et mundaberis ?* Ergo pro animâ

Eccl. 4. 25. *tuâ non confundaris dicere verum : Est enim confusio adducens peccatum , et est confusio adducens gloriam et gratiam.*

## MEDITATIO XXXI.

## Præparatio ad Confessionem.

ANTE judicium sacramentale instituam ego ipse <sup>Actu penitentiæ.</sup> mecum judicium de meipso : ubi *ratio* ipsa sit iudex decernens de gravitate culparum , et severam indicens pœnam ; *conscientia* accusator accuratissimus nihil indidiscussum relinquens ; *timor* autem divini iudicii , quasi lictor me ad quævis , pro avertendâ severitate illius iudicii , velut astringens , paratumque exhibens. Deniquè *dolor* sit exactor pœnæ. Et est quod S. Gregorius ait : *Conscientia accusat , ratio judicat , timor ligat , dolor excruciat.* Porrò judicium hoc privatim peragam , supremum Judicem Deum ante oculos constituens , inspectorem totius meæ actionis , ut inde extimuler ad severiùs procedendum adversum me. Quod exoptabat S. Job : *Quis tribuat , ut veniam meam ad solium ejus ? Ponam coram eo judicium , et os meum replebo increpationibus.* Et Isaias : *Reduc me in memoriam , et judicemur simul.* Isa. 43. 26.

## PUNCTUM I.

Quòd Deus voluerit , ut actus hominis ipsius essent pars sacramenti Pœnitentiæ , ut qui nostris actibus Deum offendimus , nostris quoque , divinâ ope , factis , impetremus veniam. Quare convenit , ut quàm exactissimè perficiantur ; sicut universè mone-



*Ecclesi. 33.*  
23. mur : *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Sunt

porrò tres, *contritio, confessio, satisfactio*, quæ respondent triplici generi culparum, cogitationis, oris, et operis. Pro singulis speciatim implorabimus gratiam :

*Contritio.* pro contritione, à Spiritu sancto, qui est amor, ex quo debet manare contritio ; à Filio, pro

*Confessio.* confessione, ut qui est sapientia, faciat me cognoscere exactè omnia, et integrè confiteri ; à Patre,

*Satisfactio.* pro satisfactione, ut, cujus est potentia, conferat fortitudinem ad exequenda opera satisfactionis, fructusque faciendos poenitentiae.

### PUNCTUM II.

*Contritio*  
*qualis.* Requisite ad prædictos actus. Ac primò ad contritionem non sufficit dolor ex metu servili supplicii, qui vocatur Attritio ; sed debet ex amore Dei super omnia proficisci, qui vocatur Contritio. Est autem contritio mensura gratiae in Sacramento conferendae, ut, pro magnitudine contritionis, detur gratia major vel minor. Ex quo intelligitur, quanti referat dolorem esse quam maximum. Ad quem excitandum juvant allata superius Med. V. Quibus addi possunt ista.

*Similia.*  
*I.* Quòd si mater amarissimè flet super mortem unigeniti, quomodò non ego super morte spirituali animæ meæ, unicæ, et dilectæ, quem ipse interempeccando ? *Luctum*, inquit Jeremias, *unigeniti fac tibi planctum amarum.* Et verò planctus super filio est inutilis ; iste verò super animam, reddit illi

### Præparatio ad Confessionem. 129

vitam. Nec solum flendum, quia mihi periit anima ; sed quia periit Deo, cujus in primis erat. Ergo, *Domine, erue à frameâ animam meam, et de manu canis unicam meam.* Ps. 21. 21.

II. De Christi morte est apud Zachariam : *Plangent eum planctu quasi super unigenitum.* Ego autem peccando præbui occasionem morti ejus : imò, *rursus* mihimet ipsi *Filium Dei crucifixi, et ostentui habitui.* Et quibus non lacrymis tantum facinus expiabo ? *Zach. 12. 10.*  
*Ut Christum crucifixum.*  
*Hebr. 6. 6.*

III. *Sponsa* mœret de amisso sponso, cum quo omnia amisit : et anima dolere satis unquam poterit jacturam cœlestis Sponsi, omniumque quæ sibi contulerat charismatum ? Viduata porrò caret etiam fructu prolis bonorum operum. Quòd si istæ considerationes lacrymas amoris non eliciunt, accersantur aliæ, à severitate divini judicii, et suppliciorum, quæ timoris lacrymas provocent, unde ad amorem fiat gradus. *III.*  
*Ut sponsam amissam dolet.*

### PUNCTUM III.

Requisite ad confessionem. I. *Propositum certum* confitendi omnia, superatâ omni confusione. Nam, si pudore nunc vincaris, quomodò feres confusionem judicii tremendi ? et cum tua delicta perspecta sint Deo, ut quid refugis eadem ministro illius manifestare ? Præsertim, quòd manifestatio hæc est tibi ad vitam : non sicut illa *Achan*, cum jussus est *confiteri furtum, et dare gloriam Deo*, ob quod lapidatus est ; sed qualis fuit Davidis apud Nathan, à quo retulit *Confessio integra.* Jos. 7. 19.



responsum : Et Dominus transulit peccatum tuum.  
Quare expedit ut confessio inchoetur ab eo peccato, de quo mox erubescimus : nam velut Goliath prostrato, phalanges reliquæ facilè profligabuntur.

II. Candida. II. Propositum cum omni demissione confitendi ; ut sit confessio clara et simplex, absque excusatione sui, vel accusatione alterius, ut fecere primi parentes ; item absque diminutione peccati, vel etiam exaggeratione quæ obstat veritati, in quâ potest subesse superbia per ostentationem humilitatis.

III. Humilis. III. Ut velit confessarii monita patienter, libenterque audire, ut audivit David reprehensionem prophetæ. *Audi tacens ; et pro reverentiâ, accedet tibi bona gratia.*

Sacerdos Dei vicarius. Conferet ad hæc intueri personam confessarii tanquam Dei ipsius, Deumque in illo interiùs et exteriùs venerari : nam et ideò sacerdos non utitur verbis precatoriis in absolvendo, sed absolutæ potestatis : *Ego te absolvo.* O quanti istud salutis verbum comparari dignum est ! Et amittes tu ob levissimum pudorem ? Audi Sapientem : *Quàm bonum est corruptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.* Si manifestaveris, omnium iniquitatum tuarum non recordabitur Dominus.

## PUNCTUM IV.

Satisfactio. Circa satisfactionem. I. Paratus ero præstare omnia quæ mihi fuerint à confessario injuncta, vel ad medicinam peccato faciendam, vel ad satisfaci-

dum Deo pro injuriâ. Nam cum gratis mihi remittatur pœna aeterna culpæ mortali debita, inque temporariam commutetur, convenit ut hanc totâ voluntate suscipiam, sicut David : *Ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper ; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.*

II. Juverit memoria acerbissimæ pœnitentiæ quam Christus in Passione suâ subivit pro peccatis meis ; ne pro magno mihi sit, tantò minorem pro reatu meo peragere. Confert etiam pœnas purgatorii cogitare, quæ cum gravissimæ sint, licet eas nunc redimere minori multò satisfactione. Quin hæc ipsa satisfactio acceptatur à Deo ad novum augmentum gratiæ et gloriæ, quod purgatorii cruciatibus non est concessum.

III. Necessarium est serium propositum non peccandi in posterum ; sine quo est contritio ficta, confessio sacrilega, satisfactio inutilis, et absolutio inanis ab effectu. Quin nec venialis culpa absque simili proposito remitti potest. Quamobrem, ut monet Jeremias, *statue tibi speculam* (explora peccata tua) ; *Jer. 31. 21.* *pone tibi amaritudines* (amarè illa desle) ; *dirige cor tuum in viam rectam, in quâ ambulasti* : quod est : Propone ex corde vitam tuam corrigere.



## MEDITATIO XXXII.

## Gratiarum actio pro beneficio Absolutionis.

Confessio laudis. DUPLEX est confessio : et peccatorum , et laudis divinæ. Convenit autem , ut hæc illi succedat , quod suadet Oseas : *Convertere , Israel , ad Dominum Deum tuum , quoniam corruisti in iniquitate tuâ. Tollite vobiscum verba , et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem , et accipe bonum , et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* En humilis confessio peccati , cum ait , *omnem aufer iniquitatem* ; propositum autem emendationis ibi : *Et accipe bonum* ; denique gratiarum actio sunt *vituli labiorum*. De quâ etiam David : *Sacrificium laudis honorificabit me , et illic iter , quo ostendam illi salutare Dei.* Nempe gratitudo , pro acceptâ gratiâ , est via ad perfectam salutem consequendam. Ideò Christo tantoperè placuit Samaritanus ille , qui cum aliis novem à leprâ mundatus , rediit unicus ad gratias agendas.

Opportunum fuerit in templum se recipere , et coram venerabili Sacramento opus hoc peragere gratiarum , memorando dulce illud verbum ac potens : *Absolve te* ; quòd *auditui meo dedit gaudium , et exultare fecit ossa humiliata.* Constant autem gratiæ tribus actibus : agnitione beneficii , laude auctoris , oblatione certi operis in illius obsequium.

PUNCTUM

## PUNCTUM I.

Agnitio beneficiorum Dei in sacramento Pœnitentiæ perceptorum. 1. Quòd omnia peccata mihi Beneficia confessio- condonaverit , etiam ea quæ non fuerim confessus , per oblivionem , aut ignorantiam inculpabilem. 2. Quòd animum pacaverit meum à passionibus internis agitato. 3. Quòd à morte æternâ , et eâ , quam privatio gratiæ et amicitæ divinæ affert , me vindicaverit. 4. Quòd in misericordiâ suâ prævenit me , ut ritè obirem Sacramentum , auxiliaque nunc offerat opportuna ad vincendas tentationes , permanentemque in gratiâ. 5. Quòd repleverit in *bonis desiderium* meum , donans gratiam et caritatem , virtutesque reliquas infusas ; aut si aderant , novis augens incrementis. 6. Quòd renovaverit , ut aquilæ , juventutem meam , depositis actibus veteris hominis , alacremque reddens ad opera virtutum , et viam mandatorum Dei novo fervore decurrendam.

## PUNCTUM II.

Confessio laudis pro iisdem beneficiis. Quadrat illud Canticum Davidis : *Benedic , anima mea , Domino , et omnia quæ intra me sunt , nomini sancto ejus ; quod licebit percurrere.* Orabo supplex , ut impleatur in me illud : *Qui sperant in Domino , mutabunt Isa. 40. fortitudinem , assument pennas sicut aquilæ , current et non laborabunt ; ambulabunt , et non deficient.*

H



## PUNCTUM III.

Recidiva  
cavenda.  
Joan. 5.  
14.  
2 Pet. 2.  
22.  
Luc. 11.  
26.  
Ecclesi. 34.  
30. 31.  
Prov. 24.  
16.

Oblatio operis pro beneficiis. I. Præcipuum est cautio à recidivo; quod monuit Dominus: *Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: ne ut canis revertaris ad vomitum, aut locum des septem aliis spiritibus nequioribus, et fiant novissima pejora prioribus.* Et est signum non seriæ pœnitentiæ, mox secutus lapsus; et tali convenit illud: *Qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Sic homo qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? Nec ideo tamen animum despondebo: nam septies cadet justus, et resurget.*

II. Implebo statim injunctam pœnitentiam; aut si minus licet totam, saltem ejus partem, cum affectu obedientiæ, et cum fervore amoris, cupiens multò plura præstare: dicamque cum servo illo debitore: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.*

III. Comparabo me ad sacram Eucharistiam percipiendam, quo opere non est aliud efficacius ad gratiam referendam. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Matt. 18.  
26.  
III.  
S. Eucharistia  
sumptio.  
Ps. 115.  
12.

## MEDITATIO XXXIII.

## Præparatio ad sacram Communionem.

DE excellentiâ et fructu sacramenti hujus considerabitur in IV. parte, ubi de institutione; et in VI. parte, inter beneficia. Nunc considerationes tantum aliquæ proponuntur præparatoriæ ad sumptum: *Dignitas visitantis, Vilitas visitati, Modus, Finis.*

## PUNCTUM I.

Dignitas visitantis. Perfectiones divinæ in Christo considerandæ sunt, et quæ est in se infinitus, et quæ extra se est principium, finisque omnium. Et cum tantus sit, non fuit ei satis induisse carnem nostram, nisi etiam singulis sese hominibus corporaliter communicaret, et in eis sedem thronumque collocaret, quò accederemus cum fiduciâ misericordiæ consequendæ, auxiliique opportuni.

Deinde consideretur idem Christus, quâ homo. Is est, qui in utero Virginis conceptus moratusque novem mensibus, tabernaculum suum innumeris et amplissimis ornavit donis; qui, adhuc ex utero, sanctificavit præcursorem, ejusque matrem Spiritu sancto replevit: quidni ad me veniens, et in me existens, pariter faciat suæ gratiæ participem? Jam natus, et in præsepio locatus, adoratores suos, pastores et magos, magnis impertit bonis: et qui ipsum intra me venerabundus excipio, exosculor, in-

I.  
Excellentiæ divinitatis Christi.

II.  
Humani-  
tatis.



donatus relinquitur? Jam natu grandis obibat regiones, benefaciendo et sanando omnes: et ad me ingressus non similia præstabit? Caro illa tot cruciata suppliciis, et sanguis ille per tormenta effusus pro salute meâ, in Sacramento sumpta, non operabuntur in me salutis effectum? Hic est qui spoliavit infernum, in cælos ascendit, et sedet à dextris Dei, dans bona hominibus. Hic egit, mortalis, *magistrum, medicum, redemptorem, pastorem, et sacerdotem* pro me: haud dubiè talem se nunc quoque exhibebit animæ meæ, quandò tam benignè ad eam ingredi non dedignatur.

Officia Christi.

Affectus. Luc. 7. 38.

Matt. 9. 20.

Joan. 20. 28.

Ergo ad illius me pedes provolvam cum Magdalenâ, lavans eos lacrymis contritionis; cum Syrophenâ tangam fiducialiter *fibriam vestimenti ejus*, ut sanus fiam. Immittam in latus manusque ejus manum meam et digitos, exclamans cum Thomâ, *Domine meus, et Deus meus.*

### PUNCTUM II.

Vilitas hominis.

Vilitas visitati. Is est homo, ad quem divertit Deus. O vile hospitium, nec vile tantum, sed immundum et horridum! Lingua hominis, quâ primum excipit Christum venientem, est universitas iniquitatis; guttur quò demittit, gurgis crapulæ, et sepulcrum patens, fœtorem omnem exhalans; pectus et interiora quò inducit, est sentina pravæ cogitationum et appetitionum.

Talis est homo ex se, nisi tu, Domine, laveris

illum, et ornaveris; et vel fuisse aliquandò talem sufficit, ut indignus reputetur favore tam eximio visitationis tuæ. Visitas tamen, et mansionem apud eum facis, et cœnas cum illo. O *inclina Cælos tuos* Psal. 143. 5. *et descende!* adduc tecum cælestium virtutum comitatum, quo adornetur thalamus animæ meæ, ad dignè te excipiendum. O Spiritus sancte, et Sanctificator! qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii Dei habitaculum effici mereretur, plenitudine gratiæ præparasti; da, ut qui eundem Dominum excepturus sum, si minùs pari, quod fieri nequit, puritate, saltem non indignè suscipiam.

Oratio.

### PUNCTUM III.

Modus visitandi hominem. Suffecisset, si modò se in Sacramento præsentem exhibuisset aspiciendum et adorandum, ut olim serpentem æneum; vel ad summum, si tangendum, ut virtus de illo xians sanaret nos ab infirmitatibus animæ spiritualibus. At voluit intimè nobis copulari et in ipsa viscera pervadere; ideòque in cibum se tradidit. Et impletur hic etiam illud: Homo *circumdabit virum*; complectitur enim Christum, perfectum Deum et hominem, non brachiis, sed intimis visceribus, quoad sacræ perdurant species divini Sacramenti. Jerem. 31. 22.

Manducari vult.



## PUNCTUM IV.

*Finis.* Finis visitandi hominem : nempe ut ei specialim illa conferat , ob quæ mortalis venit in mundum. Itaque venit : 1. Ut Salvator , quò pretium sui sanguinis mihi communicet : 2. Ut medicus , ad tollendas ægri tudines per opportuna pharmaca : 3. Ut magister , ad instruendum et illuminandum : 4. Ut sacerdos , per hoc sacramentum applicaturus mihi fructum sui cruenti sacrificii : 5. Sicut nutrix , ut lactet me suâ dulcedine , pacis osculum præbeat , si bique adstringat amplexu caritatis , impleaturque il-  
*Cant. 1. 1.* lud Sponsæ desiderium : *Osculetur me osculo oris sui.* Sed et alia similia licet cogitare , quòd veniat ut pastor me requirens , ut defensor ad protegendum , ut ignis ad purificandum , et accendendum cor meum caritate.

*Propria egestas.* Post hæc , vel potiùs inter hæc , dum singulas causas considero veniendi , vicissim necessitatem meam conferam : veluti quàm indignam Salvatore , medico , magistro , et reliquis. Hinc partim admirabor dignationem Dei , partim vota inflammata concipiam fruendi tam multiplici bono. Admirabor : nam quid opus erat ob eos fines sic se demittere ? Elias et Elissæus super defuncti pueri membra seipsos contraxerunt , membra membris jungentes , ut illum ad vitam revocarent. Sic se Dominus majestatis in panis particulam restringit , ut vitam mihi reddat : et poterat id solo nutu facere. Quandò autem venire ipse

vult ad sanandum me , quò satis exardescam in illius desiderium ? Dicam : *Excita potentiam tuam , et veni , ut salvum me facias. Utinam dirumperes cælos , et descenderes : à facie tuâ montes defluerent ; elata corda amore liquescerent. Rorate , cæli , desuper , et nubes pluunt Justum.* Hisce et similibus sententiis me accendam cupiditate participandi divina mysteria , in ipso puncto maxime communionis : nam hic cibus , quò prosit , quàm avidissimè capiendus est. Sed et contemplatione tantæ puritatis et sanctitatis , ò velim purior esse astris ! Certè dabo operam ut me , à præcedenti communionum die , ita mente et corpore custodiam , ut in nullâ re vel levissimâ delinquam ; ut , sicut à mediâ nocte jejunos esse ab omni cibo et potu debeo , ita sim à culpâ jejunos.

*Oratio. Ps. 79. 3. et Isa. 64. 1.*

*Id. 45. 8.*

*Puritas suumentis.*

## MEDITATIO XXXIV.

*De spirituati Communione.*

SERVIT hæc communio præparationi , 1. ad communionem sacramentalem ; deinde audiendæ missæ fructu : nam sicut sacerdos celebrans offert sacrificium in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis , ad propitiationem peccatorum pro vivis , et defunctis , et ad impetranda nova dona , tum sibi , tum aliis , totique Ecclesiæ , ita audiens missam potest ad eosdem fines Deo offerre quod ibi peragitur. Item , sicut celebrans consumit sacramen-

*Communionis spiritalis ad quid.*